

Sächsische

5 | A

1931

Landesbibl.

AK 00 15

Fin. 00

DE DESCENSU  
CHRISTI AD IN-  
FEROS,

THESES,

Ad disputandum

in

*Illustri Padagogio Stetinensi publicè  
proposita,*


à

DANIELE CRAMERO D. Pastore  
& Professore ibidem.

*Respondente*

MARTINO LVTHERO DRESDA-  
Misnico.

Disputatio habebitur Deo volente 14.  
Octobris, Horis Antemeridianis  
in Auditorio Magno.



STETINI,

*In Valle Mariana, Iohannes Duberus excudebat,*

Anno 1614,



75.

1

SERENISSIMO,  
Potentissimoque Principi  
ac Domino,

DOMINO

IOHANNI GEORGIO,  
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET  
Montium Duci, Sacri Romani imperij Ar-  
chimarshallo & Septemviro, Landgra-  
vio Thyringetarum, Marchioni Hermun-  
durorum, Burggravio Parthenopo-  
leos, Comiti de Marcâ & Ra-  
vensburg.

Domino in Ravenstein &c.

Domino suo clementissimo

*Hasce Theses summâ  
Animi subiectione offert*

Martin Luther R.

Sächsische  
Landesbibliothek

20 MAI 1685

Dresden

6

# PRIMA THESIS.

I.

**D**escensus Christi ad Inferos, ad Regnum Christi pertinet, eiq; optimo jure subijci-  
tur: Christus enim cui omne genu flecten-  
dum est, *Cælestium, Terrestrium & Infernorum,*  
Phil. 2. v. 10. In Cælestibus regnum gloriæ, in terre-  
stribus gratiæ, in Infernis potentiæ Regnum eminenti  
gradu exercet & moderatur. De quibus præcedenti  
Disputatione (De Regno Christi) enucleatius actum  
est.

II.

De hoc ergo hujus Descensus infernalis actua-  
turi, prius *πολυσημίαν* Terminorum tum simplicis,  
tum compositi attendere & diluere debemus: nam &  
*Infernus & descendere ad Infernum,* non uno modo dici-  
tur in sacris.

III.

Infernus enim aliquando *τὰ ἠγόμενα*, aliquando  
*τὰ συνεχόμενα*, aliquando *τὰ ἐπόμενα* mortis significat.

IV.

*Τὰ ἠγόμενα*, sunt, pericula & cruciatus, quæ mor-  
tem vel præcedunt vel inferunt, vel inferentibus  
mortem æquiparantur, aut etiam prævalent: ut cum  
Psalmo 18. v. 6. Dicitur *Dolores Inferni circumdederunt*  
*me præoccupaverunt me laquei mortis.* Refer & huc cætera  
ut 1. Sam. 2. v. 6. Psal. 71. v. 20. Psal. 87. v. 4. 5. 6. 7. 8. 17. 18.  
Psal. 116. v. 3. Psal. 142. v. 17.

V.

*Τὰ συνεχόμενα* mortis, ipse mortuorum status

A ij

&

& conditio est, ut; Obdormitio, Exitus ex hac terra viventium, Analyſis animæ & Corporis, ſepultura, funus, & quæ mortis ipſius in ſe conſideratæ adjuncta ſunt. Veluti cum Sancti dicunt: *in Infernis quis laudabit te?* Pfalm 6. v. 6 Pfal. 30. v. 10 Eſaiæ 38. v. 18. Et iterum: *quis eruet Animam ſuam de manu Inferorum?* Pfal. 89. v. 49. Et cum Gen. 37. v. 35. & 42. v. 38. ait Iacob ſe deſcensurum ad Infernum: de morte mortuorumq; ſtatu loquitur, cui ſit aſſimilandus, Refer huc quoq; 1 Reg 2. v. 6. & 9. Iob 14. v. 13 & 17. v. 13. Eccleſ. 9. v. 10.

VI.

Τὰ ἐπόμενα autem mortis ſunt ea, quæ mortem, præcipuè impiorum, ſequuntur: & eſt damnatio & projectio in Gehennam, quale eſt illud Iobi 7. v. 9. *Qui deſcenderit in Infernum non revertetur?* Et cum de Epicureis dicitur Pfal. 49. v. 15. *Sicut oves in Inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Pertinent etiam huc dicta Salomonis 27. v. 20. & 30. v. 16. & alia quæ obvia ſunt.

VII.

Quæ de ſimplici hoc termino dicta ſunt, applicentur etiam ad compositum. Nam totidem modis etiam deſcendere ad Inferos dici omninò iudicamus & pro Lectione publica probavimus.

VIII.

Ex quâ πολυσημία ſtatim ultrò ſequitur, non in unum Chaos, ad hunc Articulum de Chriſto congreganda & confudenda ſimul omnia & ſingula ſcriptura ſ. dicta, ubi ubi etiam illa de Inferno extent, & per illa hunc Articulum explicandum eſſe. Siquidem enim quævis Eccleſiæ dogmata in certis quibusdam ſcripturæ locis ſuam propriam ſedem habeant, ut  
inde

inde eorum sensus rectè & competenter petatur, etiam de hoc Articulo, id verum esse non minus statuendum est.

IX.

Pro sede autem materiæ propriâ, non sufficit ad nudum Symbolum Apostolicum provocare, : nam & illud ipsum se ad evidentia scripturæ testimonia refert, & in illis radicaliter fundatur: quid igitur mirum, si idem etiam fiat valeatq; de hoc Articulo?

X.

Solent autem pro hujus Articuli demonstratione illud Psal. 22. v. 16. afferre: *In pulverem terræ deduxisti me.* Et illud Psalmi 30. v. 10. *Qua utilitas in Sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* Item illud Psal. 69. v. 3. *Descendisti in limum profundi & non est Substantia.* Item illud Zachariæ 9. v. 11. *Emisisti vinctos de lacu.* Sed incompetenter hæc & nonnulla alia: ineptissimè autem omnium illud Iohannis Baptistæ Matth. 11. v. 3. *Tu es qui venturus es?* id est. An & tu in Infernum descendes, ut me quoq; ibi tuum præcursorem esse oporteat. O gerræ!

XI.

Nobis sufficiant pauca hæc Sp. Sancti Testimonia, quæ non numeranda sed ponderanda esse judicamus.

XII.

Veluti primò; Christum loquentem introducit Psalmus 16. v. 10. *Quoniam non derelinques Animam meam in Inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Posterius membrum de sepultura sonat; Prius de hoc Articulo. In utroq; Synechdoche est: Hic totius pro

A iij

parte,

parte, *Sanctus* pro corpore Sancto. Illic partis pro toto, *Anima* nempe pro Animato, seu tota persona.

XIII.

Secundum Osee est c. 13. v. 14. *De manu Inferni redimam eos, de morte liberabo eos, ero pestilentia tua o Mors, erit morsus tuus o Inferne.* Quod *ἐπιβίωσις* est completum in Christo, ut in Capite, in Ecclesia ut in membris. Pro ut in Capite Christo completur, ita plenè consummari cœpit, quando Christus tantus erat morsus Inferni, ut non remorderetur: quod in statu Exaltationis factum esse, cujus initium fiebat descendendo ad Inferos, in propatulo est. Nam in statu Exinanitionis morsus quidem etiam erat Inferni, sed remordebatur. Vides quanto jure hoc dictum ad hunc Articulum pertineat.

XIV.

Tertium in Psalmo 68. v. 19. extat, ubi dicitur *captivam duxit captivitatem.* Non solos captivos, non solos captivantes, sed ipsam captivitatem captivavit, quod etiam absolutè factum est in Exaltationis statu: ibi captivavit captivitatem, ut nihil omninò captivatio- nis repateretur.

XV.

Quartum Pauli est Eph. 4. v. 9. *Quod ascendit, quid est nisi quia & descendit primùm in Inferiores partes terra, qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut im- pleret omnia.* Dicit hic non tantum Christum descen- disse; non tantum Christum descendisse in terram: sed Christum descendisse *in Inferiores terra partes*, *μεθ' αὐτῆς ἔστιν ἕτερον*, explicante Chrysolomo i. e. in infimo- rum infima.

XVI.

Quintum etiam Pauli est Coloss. 2. v. 15. *Exspoliavit*

vit



vit principatus, & Potestates ἐδειγματίσεν ἐν παρρησίᾳ, triumphans illos in seipso. Posteriora verba; triumphans illos in seipso de Ascensione & Sessione ad Dextram loquuntur; antecedentia de Descensione Infernali, qui præcedit hunc, sicut victoria triumphum.

XVII.

Sextum Petri est, qui dicit: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu: in quo vadens illis in custodia Spiritibus ἐκήρυξεν præconium fecit, incredulis aliquando, quando expectabat DEI longanimitas cum fabricaretur Arca.* 1. Pet. 3. v. 18. Quod vel vnicum sufficiat pro confirmando hoc Articulo, si rectè, perpendatur.

XVIII.

Tria enim evidenter Apodolus exprimit: *Quis? Quid? Quibus?* Id est de quo loquatur? quid is fecerit descendendo? & quibus Id fecerit?

XIX.

De prima circumstantia appellat Christum, & eundem quidè ζωοποιηθέντα *revivificatum*. Sic autem dicitur, non respectu corporis, nec respectu Animæ, sed utriusq;. Anima enim quia non moritur, ergo nõ dicitur ζωοποιηθεῖσα. Neq; etiam corpus ζωοποιηθέν, nisi respectu Animæ reddita. Reddi autem non potest nisi prius ablata. Ergo Christus post mortem suam in ipso revivificationis actu ζωοποιηθεῖς rectè dicitur. Et sic revivificatus descendit: quod Anima & corpore jam restitutus & readunitis factum esse ad oculum liquet.

XX.

Quid autem fecerit descendo etiam Petrus liquidò testatur: verbo ἐκήρυξε. Minus dicunt qui per prædicare hoc verbum explicant quod præconũ facere

facere significat. κήρυξ enim Præco, & κήρυγμα præconium, & κηρύττειν præconium facere, verba forensia, sunt, & significant publicam aliquam denunciacionem, ut & actus Theatricos Edictorum, Legum, Sententiarum, Item auctionum, & quæ sunt similia. Quæ significatio prima & propria huc pertinet: Ea si obseruetur evidentissimè probat actum Theatricum descensionis Christi.

XXI.

Cum quo etiam coincidunt superiora Pauli verba, qui dicit quod Christus ἐδεδυμάλισε ἐν παρρησίᾳ ostentui habuerit principatus infernales in libertate. Est enim δειγμα & δευμαλίξεν itidem vocabulum forense cum δειγμα locus fori fuerit, apud Athenienses, in quo merces exponebantur in specimen. Accedit dictio παρρησία, quæ teste Suida duplex est; una verbalis & Rhetorica; altera militaris, & hæc idem est, inquit, quod ἐξουσία, ἀδεία: Cum Milites τῆ μαχαίρα, τὴν παρρησίαν ἐδίδοσαν, gladio Parrhesiam exercent. Quæ παρρησία activa est, & fit cum Autoritate, immunitate, & imperterribilitate.

XXII.

Hic qui oculos habet videat & animadvertat actionem istam, quam Christus præstitit descendendo. Nec enim sufficit dicere, Christum vicisse Infernum: commune enim hoc meritum est, competens omnibus ex æquo Articulis fidei De Christo: Et in singulis præsupponitur actio, ex qua hoc meritum promanet. Et non esset meritum Christi nisi in actione aliqua fundaretur. Ergo si & hic Articulus meritorius esse debet; Actionem fundamenti loco requireret,

ret,

ret, ex quo hoc meritum promanat: quam dicimus ex Petro & Paulo Apostolis, esse actionem δείγμα, vel δειγματισεως, Actionem Parrhesiasticā, militarem, potentialem, eamq; cum κηρύγματι seu præconio forensi, quale fieri solebat in Comitijs.

XXII.

Et huc usq; nobis sacra scriptura hanc Actionis speciem revelavit: quæ adhuc evidentior est quando observatur, quod Petrus dicat factum illud esse ἐν πνεύματι in virtute & potentia Spiritus. *Crucifixus enim est ex infirmitate, dixit autem (& revixit quoq;) ἐκ δυνάμεως* θεῶ 2 Cor. 13. v. 4. Et quia descensus Christi opus ad extra est, quis hic sequestrare velit virtutem & potentiam Sp. Sancti? Ut enim Christus & suā & patris & Sp. Sancti potentia ζωοποιηθεὶς factus seu revivificus est; ita & suā & Patris & Sp. Sancti virtute descendit.

XXIII.

Quorsum autem & ad quos? ad φυλακὴν, inquit porro Petrus, ad custodiam infernalem & barathrū Tartari, ut ostensio ejus passio esset suæ vitæ, suæ potentia & superatæ victoriæ.

XXIII.

Nec enim inusitata est ista loquendi forma, ut quod Activum & reale est, verbaliter fieri dicatur siquidem & Hebræum *Davar* & Verbum & Negotium significet: & *sanguis Abelis* dicatur *clamare* Heb. 11. v. 4 non quidem verbaliter sed realiter, activè, effectivè & efficaciter. Et tale fuit etiam præconium (seu prædicatio) Christi, de quo hic Petrus.

XXV.

Quamnam autem φυλακὴν Petrus intellectam  
B velit,

velit, ipse satis declarat, in quâ scilicet detenti fuerunt *ἀπίσθονες*, Imperfuaſibiles, infideles, increduli. Ad quam autem *Φυλακὴν* illi pertineant facile diuinare est ex Christi ſententia. Ioh. 3. v. 18. dicentis, *qui non credit, iam iudicatus est.* De loco igitur iudicatorum, hîc dici quîs dubitet? Sed quia unus tantum damnatorum locus est, necesse est, ut specie dicta, intelligatur genus. Vbi ergo est collegium eorum qui Noë increduli fuerunt, ibi procul dubio erunt & cœteri damnati: in Inferno puta, ad quem Christus profectus est.

XXVI.

Ex quibus huc usq; ex scriptura demonstratis multa licet colligere *πορίσματα*.

XXVII.

Quorum n primum erit, Definitio: quam hoc modo constituimus: quod *Descensio ad inferos* sit *Actio* in spiritu, quâ totus Christus post sepulturam, resumptâ Animâ antequam resurgeret, ad infernum victoriosè descenderit, non solùm merito suo, sed gloriosâ sua præsentia & Parrhesiastica hujus profectionis solennitate, qua Inferni Carcerem visitavit, & omnibus Diabolis damnatisq; ostensionem & preconium fecit, acquisiti & exquisiti sui juris & Domini in vivos & mortuos.

XXXIII.

Colligimus deinde & hoc: quod descensio ad Inferos ad statum non Exinanitionis sed Exaltationis pertineat. Nihil enim facilius quam hoc ex superioribus dictis deducitur. Nam dicitur Christus privativa locatione *non derelinqui*, quod positive significat LVTHERO sic explicante, velocissime reduci. Et quia  
hæc

hæc Actio ad extra est: ergo significat hoc Christum ipsum se velocissime reduxisse, ipse enim sui ipsius liberator & reductor est Esa 63, v. 5. Idem & Oseas vult, cum quo ἐπιβίχιον suum canit Christus. Idem & importat Captivitatis captivatio. Idem & collatio Pauli, quâ Christum ascendentem & descendentem confert, Neutrum fieri potest sine ἀφθαρσίας δυνάμεις. Idē & volunt Emphases verborum, exspoliandi, δειγματίζεν, παρρησία. Idem importat Petri ζωοποίησις quæ reddidit Christo corpus Spirituale. Item κήρυγμα. Item profectio in spiritu, quæ omnia nihil nisi statum Exaltationis crepant, & eò hunc Articulum absolutè referunt.

XXIX.

Cujus confectaneum & hoc est: quod Christus nihil omninò in Inferno passus sit: hoc enim exinanti non exaltati est.

XXX.

Sed & hoc licebit ex superius demonstratis colligere: ut ad omnes circumstantias de hoc Articulo motas, facilis reddi queat responsio.

XXXI.

Si enim quærat. *quis* descendit? respondebis ex Petro, Christus ζωοποιηθεὶς revivificatus, nimirum Animâ post mortem & sepulturam corpori restitua.

XXXII.

Si quærat, *quid* descendendo fecerit? dices ipsum ἐν δειγματι, ἐν κήρυγματι ἐν παρρησίᾳ traduxisse potestas infernales confidenter.

B 2

XXXIII

## XXXII.

Si quærat<sup>ur</sup> *Ubi?* Respondebis ἐν Φυλακῇ, ubi infideles & damnati reservantur. h. e. in Inferno, non in Limbo Patrum, qui ad locum infidelium non veniunt. Dices etiam cum Paulo profectum ipsum ad Inferiores terræ partes, seu ad Infimorum Infima: nō Geometricè sed mysticè ita dicta idq; *juxta communem opinionem, & intellectum*, ut dicit Theophylactus: vel ut August. Infima dicta *pro corporalium rerum similitudine*. De quo Inferno non quæremus *ubi sit, sed quomodo illum fugiamus*, rectè monente Chrysofostomo.

## XXXIII.

Si quærat<sup>ur</sup> *Quibus auxilijs?* dic nullis: Christus enim per seipsum profectus, in seipso traduxit Infernales potestates confidenter. Est enim hæc Actio divinæ potentiæ, ad extra, communis S. S. Trinitati.

## XXXV.

Si quærat<sup>ur</sup>, *Quomodo?* Reddemus, quod victoriose & triumphanter. Item quod ἐν πνεύματι in virtute, & secundum modum virtutemq; Corporum Spiritualium, De cætero ad hanc quæstionem πᾶσι resolvendam non solliciti: Idq; propter has causas. Quia Infernus & status Inferni est extra-mundanus, & ad alterum mundum ubi nec locus nec tempus est, pertinet. 2. Quia motus modus Spiritualis gloriosorum corporum etiam nobis specificè notus esse non potest. Quod tamen nihil præjudicat veritati in rebus fidei, quarum omnium hæc ratio est, ut credenda, non Geometricè demonstranda sint.

## XXXVI.

Si quærat<sup>ur</sup> *quando* Christus descenderit? Solutionem



tionem ex Petro petas, qui ζωοποίησεν α ait profectum  
revivificatum; Vivificatio autem Christi facta est, cum  
Christus Animam à Corpore separatam, corpori red-  
didit ut inquit ipse Sohnius. In ipso igitur Vivificatio-  
nis Instanti, & εν στιγμή χρόνου Christus ad Inferos de-  
scendit: ita ut descensus ipsius factus sit in fine Sepul-  
turae, & ante principium Resurrectionis, in ipso ζωο-  
ποίησεν α Christi momento.

### XXXVII.

De temporis morâ hîc frustra sollicitamur: 1.  
quia πρὸς Inferni & ejus distantia, & omnem locum &  
omne tempus, & omnem captum nostrum supe-  
rat 2. Quia per revivificationem Christus assumpsit  
Corpus Spirituale non naturale, de quo Paulus ait  
quod resurgat εν ἀφθαρσία & δυνάμει: Ratione cujus  
excedit omne Jus loci & temporis: 3. Quia corpora  
Spiritualia pollent illocalitatis δυνάμει, ut possint in  
instanti moveri, cum volunt, sine δυσχερία qualitatam  
Naturalium. 4. Quia descensus factus est respectu il-  
lorum, qui sunt extra temporis lociq; hujus physici  
& mundani ambitum.

### XXXVIII.

Et, si potuit Diabolus præsenter ostendere Chri-  
sto, teste Luc. c. 4. v. 8. Omnia & singula totius mundi  
regna, εν στιγμή χρόνου; quidni Christus omnem regni  
sui plenitudinem & victoriæ partæ majestatem osten-  
tare & præsenter exhibere in ipsius confusionem  
posset εν στιγμή χρόνου? Posse id omnino Majestas Christi  
convincit.

### XXXIX.

Sed & plura nobis porismata suppetunt ex su-  
perio.

B iij

perio.

perioribus: nimirum ut, quid repudiandum sit in hoc Articulo intelligamus.

XL.

Nam quia hic Articulus est fidei; Et Articuli fidei κατὰ τὸ πρότερον intelligendi, improbandus erit hic sensus, tam Metaphoricus quam Metonymicus. Metaphoricus de cruciatibus Inferni, Itemque, de statu ignominiae & humilitationis: Metonymicus de virtute & efficacia.

XLI.

Sed nec hi tantum errant, qui hoc modo διανοιᾶν quærunt in hoc Articulo; quin longè plures hic sint errantium phalanges.

XLII.

Vetus error est Marcionis, qui impios descensu Christi liberatos, fidelibus illic relictis; Nicetæ qui Platonem etiam liberatum, Origenistarum, qui & Diabolos partim liberandos; Christolytarum, qui Corpus Christi in Inferis relictum, in Descensione, fabulantur.

XLIII.

Quò etiam Pseudo-Evangelium Nicodemi pertinet. Ex quo haud pauca errata, Patribus non semper æquè cautis subreperunt.

XLIII.

Scholasticorum etiam Opiniones hic vagæ & vanæ sunt. Scotus putabat non posse huic Articulum ex scriptura probari; Aquinas Christum Essentiâ suâ tantum ad Limbum Patrum usque; pervenisse; virtute & Effectu autem ad cœtera conclavia; veluti Limbum Infantum Purgatorium & Infernum: Durandus

Durandus



Durandus <sup>ne</sup> ~~en~~ quidem ad Limbum Patrum Christum  
essentiâ pervenisse putabat; sed tantum virtute: si-  
quidem scriptura loca inferni non distinguat. Quo  
pronunciato tota fabrica harum fabularum corrui.

XLV.

Reædificant tamen Giesuitæ has aniles fubu-  
las, & in Limbo suffulciendo operosi sunt admodum,  
ita tamen ut Bellarm. ipse, nec Aquinatem nec Du-  
randum tolerare possit, & nihil certi habeant defini-  
re, an etiam Christus usq; ad Purgatorium venisset,  
& inde Animas, ut vult Thomas de Argentina li-  
berasset?

XLVI.

Erroneû & hoc; quod Nicolaus Cusanus nimis in-  
cogitanter primum edidit, *Christum dolores inferni in  
Inferno passum*: cõtra quem suo tempore Iac. Faber Sta-  
pulenſis pugnavit. Quem errorem nostro seculo D.  
Epinus & Flacius nullis nixi solidis fundamentis,  
reassumerunt.

XLVII.

De Calvinianis in hoc Articulo verum est il-  
lud tritum: *Quot capitulor sensus* Nihil enim certi est  
in Ore ipsorum. Inter quos tamen *Bucanus* omnium  
absurdissimus est, qui ex hoc Articulo fidei Cothurnû  
facit, & tres diversas opiniones dissidentes si-  
mul credi posse, statuit: *approbat* enim eos qui dicunt  
hoc Articulo nihil aliud significari quàm descendisse  
Christum in statum mortuorum: *Approbat* item illos  
qui hunc Articulum convertunt in *Allegori-  
am & Metaphoram & significare* Infimum  
Infimæ humilitationis, statum, ut vult *Sohnius*:

*Approbat*

*Approbat* & illos, qui per hunc Articulum nihil aliud intelligunt, quam summos Animi cruciatus, ut *vo-*  
*luit Calvinus.* Solus Zanchius FLACIANUS est in hoc Articulo. Sed hoc modo Bucanus licentiam facit, vel nihil vel quidvis credendi in hoc Articulo.

XLVIII.

Deniq; & repudiamus Psychopannichitas, Dormitantes & Anabaptistas, qui dicunt omnes Animas (& sic quoq; Christi defuncti Animam) statim ut corpore exiverunt, in somnum incidere. Qui error a nostris luculenter refutatus est; Ut nullum os impudentius sit, quam Gretzeri Giesuitæ, qui post *Pistoriam Apostatam* hujus Erroris B. nostrum LUTHERVM etiam insimulare audeat; Sed irriso admodum conatu.

Tantum breviter & Theticè  
de hoc summo fidei  
Articulo.

FINIS.

Hi 106.

5 A 1931



